DE USU INFINITIVI HORATIANO

PART. I.

DISSERTATIO

QUAM SCRIPSIT

ET

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

IN

ACADEMIA VIADRINA VRATISLAVIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

A. D. IV. CAL. JUL. ANNI MDCCCLIV

H. L. Q. C.

CONTRA ADVERSARIOS

AUG. FRANCKE, DR. PHIL.
JOS. REGENT, CAND. PHIL. SEM. REGII. PHIL. SOD.
PAUL SCHAEFER, CAND. PHIL.

publice defendet

AUCTOR

FRIDERICUS GUILELMUS DAHLEKE,

VRATISLAVIENSIS.

VRATISLAVIAE,

TYPIS ROBERTI NISCHKOWSKY.

VIRO CLARISSIMO

EDUARDO FRID. GUIL. SCHLEGEL

MED. ET CHIR. DR. MEDICO A REGE POTENTISSIMO SUIDNICENSI REGIONI CONSTITUTO

HUNC LIBELLUM

GRATI ANIMI OBTULIT DOCUMENTUM

AUCTOR.

De usu infinitivi Horatiano.

Particula I.

De gerundio. De supino. De infinitivo historico. De infinitivis, qui subiecti et obiecti vices sustinere videantur.

Scripturo mihi de infinitivi usu, qualis prodeat ex Horatii poëmatis, etsi satis dilucide eae subiiciebantur oculis difficultates, quibus parum antea expeditis nostro ipso aevo neque studium deerat neque ingenium virorum de infinitivo cognatisque ei formis docte disserentium, nihilo tamen secius gratissimum munus susceptum esse videbatur. Versabitur enim quaestio non solum in diiudicanda poëtae nostri dicendi ratione, sed pro viribus etiam universas linguae Latinae leges respiciet spatiumque temporis collustrabit necessario, quo summum literae Romanae ascenderant fastigium. Ac profecto jam in poëmatum varietate quanta oblata erat copia illis, quicunque auctoris ingenium rerum temporumque vicissitudine mutatum reputabant, tanta suscitet necesse est ad investigandam dictionis differentiam, quam in ipsis dicendi singulis formulis requiras elegantiamque inde majorem in epistolis vel praesertim carminibus conspici posse concedas. Quatenus igitur illa in nostram quadrent de infinitivo quaestionem, si disceptare nos oportet, ridiculum sane foret nimium angustis, quotquot occurrerint, usus liberiores coërcere finibus et temporis et poëtici generis ratione accurate habita. Cum enim cognitum habeamus, quam laete extremis rei publicae temporibus floruerit apud Romanos Graecarum literarum studium, ut cuilibet eruditiori viro illius linguae fontes patuerint, quamque grato in patris memoriam animo ipse poëta noster professus sit, se Graeca doctrina imbutum fuisse iuvenem (Sat. I. 6. 70—100): inde nimirum intelligimus esse factum, ut omnibus eius poëmatis Graeca quaedam species et ipsius linguae elegantioris vestigia inhaereant, pariter atque aequalium poëtarum opera

neque minus solutam orationem pulcherrime illustrant. Verumenimvero quantumvis nos inniti deceat isto argumento Graecamque difficile sit negare originem in multis dicendi generibus, non licet tamen interpretibus in eo consistere, ut ubicumque locum tenere videatur talis licentia, graecismum intelligendum esse neque aliud quicquam afferant, quippe qua interpretandi ratione, quoniam Romanae fere omnes omnis aetatis literae natae e Graecis habendae sunt, tandem nequiret certe constitui, num omnino operae pretium sit accuratiores de Latina lingua quaestiones inire grammaticas.

Qua de caussa cum cavendum sit, ne quaerentes Latinae linguae normas plane ab illa aberremus, neve auctores existimemus Romanorum suo quemque arbitrio sermonem tractasse, videamus potius, ne quantacunque fuit principalis Graecorum et Romanorum cognatio obliviscamur unquam, quam varia sint rursus ac diversa non tam populi, quam linguae Romanae elementa. Sed longum est agere nunc amplius de re satis perspecta ac saepenumero in universum exposita, quae nonnisi quod in singulis plerumque quaestionibus atque in auctorum interpretatione praetermittitur, aliquantulum hic debebat attingi. Ergo ne multa! Quamquam satis constat, Graecorum Romanorumque gentes propiore quadam cognatione coniunctas fuisse literarumque artem ab illis Romam pervenisse magisque in dies sibi animos conciliasse, attamen si qui usus Latinae linguae ipsius ad Graecam originem Romanamve sit referendus, accurate necesse est diiudicemus, num id quod bene Graece, sic etiam omnino Latine potuerit dici. Quum autem utriusque linguae vigor iam neutiquam neque aliter normae atque in relictis auctorum monumentis queant agnosci, series illorum ab antiquissimis usque temporibus est investiganda, aut praepedita hac difficillima re, statim ad universae linguae rationem redeundum, unde uniuscuiusque explanari posse fundamenta est consentaneum.

Iam postquam de consilio, quo scribere nos oportere putabamus, actum est, ipsi quaestioni, quantum pro viribus licebit, satisfacere conabimur; cuius quidem et propter ambitum argumenti, et propter exemplorum quae praebet Horatius copiam, alteram tantum partem tractabimus, ne modum opusculo aptum excedamus. Quare de constructione, quam dicunt accusativi cum infinitivo atque de cognatis illi dicendi generibus, quae coniunctionibus formantur ut, ne, quod, quo, quin, quominus, alio loco, temporis opportunitate data agatur, licet arctissime cum his, quae in postremis paginis disputabuntur a nobis, cohaereant. Sed quatenus ipsius Latini infinitivi formarumque gerundii et supini verbalium, quae prope illi adiacent, natura ac quo nexu in enunciatis usurpari potuerint ex linguae rationibus Horatii aetate breviter adumbranda sit condicio, hac prima concinnabi-

tur disputationis particula. Talis autem erit exemplorum ex poëta quaesitorum recensio, ut quasi lux inde exoriatur regulis in universum constitutis, singulis quoque loco haud ita subtiliter respectis. Quapropter critices quoque vitetur in hoc libello auxilium formaeque, qualem contextus esse voluit Orellius, ratio tantummodo habeatur. —

De infinitivi natura quum veterum philosophorum[1]), tum grammaticorum[2]) disciplinas itemque doctiores usque ad recentissima tempora viros[3]) volvisse quaestionem multumque et saepe revolvisse aequum est, quoniam nihil est incertius infinitivi definiendi condicione. Namque quum in se conclusa esse appareat in nullam partem eius vis, ut vel nominis auctoritatem sibi vindicare, vel haesitare inter verbi nominisque facultatem, denique nonnisi verbalem videatur exprimere sensum, quid utriusque tam diversae et nominis et verbi notionis reconciliatione difficilius? Fluctuantibus igitur huc illuc sententiis, in eo maxime elaborabatur, ut perspecta in dies magis linguarum omnium origine, aut ex etymologia aut ex circumspiciente rerum caussas philosophia reperiretur certa quaedam condicio, unde fines ususque infinitivi varietas linguarum omnium cognitionis gratia expedirentur. Hoc modo laetissime profecisse quaestiones grammaticas multasque inde dubitationes aut minus obscuras esse factas, aut plane evanuisse, omnes nunc exhibent libri grammaticorum, qui diligentius rem tractare suam singulasque accommodare ad universas solent regulas. Neque tamen cuiusquam fugit scientiam, nodos laxatos quidem, minime vero esse solutos, si quidem pro suo quisque argumento hanc illam linguam respiciente voluerit firmam, ex qua fundamenta sibi exstruat, imaginem effingere. Quocirca ne posthac, dum in singulis necesse erit diutius versari, spatium temporis amplius consumamus semel iterumque idem repetentes, iam nunc praecipue advertere animum ad dictionem Latinam volumus.

Nulla profecto videbatur aut linguarum structurae omnino magis probabilis verisimiliorve, quam substantivum verbale[4]) infinitivum esse argumentatio. Quum enim certe habeat mediam quandam vim, altera parte vergens in substantivi notionem, altera verbi officiis fungens, lin-

---

[1]) De Stoicis, quae constituerint secundum philosophiae suae leges cf. Diog. Laërt VII. 58; recentiores vero de eorum grammatica observationes exstant in: Gr. gramm. primord. J. Classen p. 51, Rud. Schmidt Stoic. gramm. p. 44 sqq., Laur. Lersch. sprachphilosophie der alten II. pp. 31. 36. 204, S. Stern, lehrbuch der allgemeinen gramm. p. 125, Geppert, darst. der grammat. kateg. p. 53.

[2]) Apollonii Dyscoli (de constr. or. III. 13. p. 230 ed. Bekker; cf. Lersch l. c. p. 128) ac posteriorum grammaticorum de infinitivo cognatisque ei formis sententias diiudicat Guil. de Humboldt in annal. A. G. de Schlegel, quibus inscriptus est titulus: indische bibliothek II. pp. 71—99; Ceterum confer Haasii ad Reisig. sch. adn. 599.

[3]) Eandem respice adnot. 599. — F. Luebker. de usu infinitivi Plautino comment.

[4]) Cf. Bernhardii elem. linguar. discipl. §. 47. artt. 1. 4.

guae leges reputanti jure apparet infinitivus media orationis pars interiecta inter nomen subst. atque participium. Qua in re quamvis posita sit magna vel originis vel significationis cum verbali substantivo congruentia, minime tamen simul explicatur vera infinitivi natura [5]). Etenim praeterquam quod ex nullius fere adhuc linguae legibus flectere nominis instar licebat infinitivi verbi regimen tenentis formam, quippe quae sit mere verbalis [6]), nec nisi articuli aut coniunctionis auxilio efficiebatur flexionis quaedam species [7]), ad Latinam maxime, quod attinet, linguam, auxilio altero carentem, aliasque sibi ideo, si opus erant, formas vindicantem, haud ita mira videatur opinio, infinitivum in illa substantivum verbale proprie non fuisse.

Quo loco commemorare liceat, quam Humboldtius de infinitivi natura proposuit sententiam: „puram esse,“ dicens, „ἐνέργειαν verbo significatam nec tamen nominis simul subst. speciem adoptantem“ [8]). Sed quam servare optime poterat, non servasse videtur aeque in commentatione sua, quum de gerundiis ac de ipso Latinae linguae infinitivo agere separatim cognatosque qui aliis linguis essent infinitivi usus cum illis diligentius non contendere debuisset.

Re vera igitur, si speciem quidem meram infinitivi tenere volueris, nihil est, unde eas quae necessariae sint nominis virtutes, numerum et casus, denique genus elicias. Sin vero linguis quibusdam (cf. n. 7) arti-

---

[5]) Cf. Humboldt. lc. imprimis p. 83 sqq.

[6]) Id quod satis elucere videtur ex illis, quae commentatus est Fr. Bopp.: ueber das coniugationssystem der Sanskritsprache im vergleich mit jenem der Lat., Gr., Pers. und German. Francof. a/M. 1816. — cf. Reis. sch. §. 142. p. 223.

[7]) Vernaculam eo usque progressam esse scimus, ut flexioni verbali praeter articulum subiungat flexionem nominis, cf. Bernh. lc. artt. 7. 8a, Humboldt lc. p. 88 not. 2; sed ita fit, ut praetermissa plane significatione infinitivi principali efficiatur subst. verb. idque attributiva regnante iam tantummodo facultate, subst. abstr. Quare vix nisi formae originem respexeris, ex usu infinitivum cognoscere possis, puta: das leben. — Huc alias recentiores linguas non pervenisse, coniunctione adhibita, consentaneum. cf. Mohr. in libello de inf. hist. pp. 14—17. Aliter vero se res habet in Graecorum sermone, qui articulo adiuncto quid sibi ex infinitivi facultate quaesierit, Latinos iam veteres grammaticos investigare cogebat. (Prisc. ap. Putsch. 808. 9). Quos secutus Humboldt.: die vollkommenste, inquit, bezeichnungsart der gerundien ist unstreitig die in der griechischen sprache gewöhnliche durch den mit dem artikel versehenen infinitiv cet. cf. lc. pp. 89—90. Haut dubie igitur infinitivus Graecorum cum articulo iunctus verbale fit substantivum, vel explet quidem huiusce vices atque ita, ut nonnisi ipsa articuli flexione infinitivi figuram simulque vim egrediatur, quia peculiari non opus esse videbatur forma Graecis transitum sibi a verbi facultate ad substantivi naturam quaerentibus. (Humb. l. c. pp. 74—78.) Ita non multum ab ipso infinitivo aberrant, utpote qui ante omnes fere amantissimi eius fuisse videantur. Proinde etsi de re satis probabiliter iudicaverit Humboldtius, fortasse de praestantia formae illius, quasi non refutanda, decerni non possit, ut notionem multo sagacius distinxerit Putschius: „Haec forma (gerundii) Latinitati non solum praestat ornatum, sed illud quoque, ut aliquid habere videantur, quod Graeci iure desiderent.“ 2765.

[8]) l. c. p. 89. „Die blosse durch das verbum bezeichnete energie, ohne substantive form gedacht, ist der inf.“ cet.

culi appositione licet infinitivi notionem ita augere, ut paene actio fiat ἐνέργεια verbi firmamque quandam accipiat substantivi conditionem, augeantur quoque necesse est enatae formae virtutes. Itaque flexione articuli facultatem nominis usurpat generisque inde requirit neutrius significationem, ut quae sola possit ad incertam, quae remanet usque, verbi vim accommodari. Numeri deinde signo in hacce forma locum non esse liquet, remota plane firmioris veri nominis notione, quae vel numero vel adiectivo posset sibi inhaerenti distingui. Ea tantummodo ratione (Graecis probata) ipso infinitivo efficitur forma substantivo verbali cognata. Romanis autem, qui videantur tanti aestimasse subst. nom. notionem, ut cuius plane certos existimaverint fines amplius definire noluerint illa, quae fit articulo, significatione, sane non poterat ex propriae linguae consequentia contingere, ut infinitivo nulla ex parte definito nominis auctoritatem tribuissent. Formam igitur quum assequi deberent speciei ratione excogitatae idoneam, cui esset efficacior verbi vis non minus, quam fixa illa nominis, ex participio petendam esse putabant, quae infinitivo non explicaretur, ideoque videntur quasi plus vindicasse subst. nom. participio, quam infinitivo. Ac profecto quum insit in illo non tam verbalis, quam attributiva potestas, fieri potest, ut ex adiectivi neutrius generis similitudine significet substantivum eiusque vices subeat in enuntiato. At multum interest, quale sit, cui quam maxime infinitivi naturam servanti attribuatur utraque illa verbi et nominis significatio ac simul restitui possit vera participii qualitas. Quodsi ubi de participio agitur investigare nos oportet, qua temporis notione circumscribi possit aut quale genus verbi exhibeat, duplici hic ratione quaerendum est, quid temporis et quale genus sit aptum ad formam gerundii producendam. — Tribus omnino momentis [9]) definiatur tempus necesse est: futuro, praeterito, praesenti, quorum posterius nescias futurone an praeterito imputes, ut incertissimum celerrimeque praeterfluens, triumque omnium minime vel ipsa cogitatione comprehendere possis. Iam igitur si expostulantur his momentis tribus ex linguae ratione tres quoque et infinitivi et participii formae, quas plus minusve definitione carentes circumscribi oporteat, praesentis infinitivo maxime inesse apparet illam vim verbi fluxam atque incertam, quae omnino vindicetur infinitivi notioni. Nec minus inter participia eadem vis illi, quod praesentis est, concedenda sit. Iccirco Romanos gerundii nationem ac formam ex aliquo praesentis participio hausisse intelligi potest [10]). Altera autem ex parte videmus infi-

---

[9]) Cf. Bernhardii elem. §. 44, praecipue artt. 8—10. Krueger gr. gr. §. 53, vorerinner. 1—3.

[10]) Qua in argumentatione contineri etiam videtur summa finiti verbi praesentis varietas qua usurpetur mox tempus absolutum, mox historicum atque omnino cuius-

nitivum duplici generis significatione praeditum esse propterea, quod verbi motus vel actio potest aut ab eo perfici, quod agit motumque efficit, indeque finem quendam assequi, aut in alio quodam, quod non agit, cogitari se perficiens. Qua enim ratione omnino differentia inter activum et passivum verbi genus intercedit. Etiamsi igitur in gerundio exstat participii, verbalis formae, species, non tamen interest pro substantivi, ad quod spectet, facultate, num hoc an illud usurpet genus; imo huius notionem, quamvis passivi eam esse principalem suspicias, neglexisse sermonis consuetudinem existimes [11]).

Quae cum ita habere se videantur, iam ex illa gerundii origine participia pass. in *ndus* desinentia praesentis, non futuri esse participia, probabile fit. Sed de hac re quoniam dilucidissime est disputatum, ut ne de singulis quidem usus participii illius condicionibus verbum addi liceret [12]), nihil restat, nisi ut quos huc referri oportet Horatii locos, confestim reputemus.

Imprimis in eo gerundii et part. praes. pass., quod gerundivum appellant, positum esse discrimen apparet, quod altero substantivi, altero participii sententia utebatur lingua Latina. Unde gerundio attribui debent nominis virtutes: casus, genus neutrum; participio praes. pass. autem potestas omnino attributiva. Quum vero ex Horatii poëmatis iam

---

que significationis, quae ad tempus pertinet, agere possit partes, quatenus insit notio eius in quovis, quod cogitari queat spatio. — Quod vero pertinet ad gerundium ex praesentis quodam participio derivandum, non aliter res difficillima exponi potest, atque utriusque et infinitivi et participii praesentis comparatione. Perpetue igitur mutabilis verbi notio, quae trium est infinitivorum, nullo modo intelligentiae perspicua, certum quendam debet accipere statum, quo possit adhuc agere motum, sed simul inhaerere cum illa potestate rei immutabili. Unde nascuntur tria participia. Quodsi ex plane infinita praesentis notione efficitur, ut vel nescias vel ex arbitrio debeas circumscribere eius limites, necesse est infinitivum praesentis omnino maxime infinitivi notioni respondere. Quum autem gerundii forma, quae linguae lege aliter atque ex firmiore iam participio gigni non potest, semper prae se ferat suam cum infinitivo cognationem, consentaneum est, ex praesentis plane infiniti participio quaesitam esse formam illam. Unde simul ostendi potest, obscurata magis magisque temporis notione gerundium, participii formam sibi vindicans paullulum appropinquare substantivo nec verbalem contra excedere originem.

[11]) Gerundii videlicet, qui exstet, usus idem est in enunciato atque substantivi, quali non sit firma condicio. Hinc ex sensu casus obiecti: accusativus. Attamen ne inest quidem in eius notione abstracti quaedam nominis vis, quam reperias iam in maxime cognato usu Plautino: amatio est, captio est. cf. Luebker. p. 13 sqq. Haasii adn. ad Reis. sch. 593. Seiungit enim immobilis substantivi statum plane a notione sua; et videtur quidem ea res gerundii motu affici, in qua se peragat eius vis nec ita tamen res illa, quae motum impellit. Sic igitur quum gerundium significet actionem, quam proprie ipsam per se perfici (verb. intr.), aut aliud quid atque movens subiectum perducere ad finem (verb. transit.) cogites, ex passivo genere esse deductum videtur. Ac re vera quidem nullo modo discrepat a part. praes. pass, unde derivatur nisi quod illud quocunque loco ponitur, est aut participium aut adiectivum, gerundium vero substant. vim ostendit. cf. J. de Gruber. comment. de ger. Allgem. Schulzeitg. Abthl. II. 1833 et Jahrbücher f. wissensch. Krit. Febr. 1834. No. 24.

[12]) Cf. Haasii adn. ad Reisig. sch. 580.

demonstrari possit, infinitivi usum extrema rei publicae aetate, magis etiam sub Caesarum imperio angustias priorum finium migrasse, ut non perinde servata sit diligentia sermonis antiquior ac rationi potius adaptata dicendi forma[13]), persuasum inde habeamus, gerundiorum vices quasi casuum infinitivi gerentium non inveniri posse copiam. In singulis igitur si placet consistere, nominativo[14]) poëtam non esse usum videmus, pariter atque tertius casus non invenitur. Nec tamen in secundi, quarti, sexti observatione aut frequentior multo, aut peculiarior quidem usus offertur[15]). Iam igitur propterea quod ubi infinitivo noster aeque ac gerundii forma videtur uti, nonnisi accuratiore ipsius infinitivi investigatione internosci possit, hic satis sit, secundum casuum ordinem singulos gerundiorum locos attulisse:

I. Ger. casu IV. posita, quocum conjungitur praepos. *ad*[16]): accedere ad numerandum Sat. II. 3. 150; redacti ad bene dicendum Epist. II. 1. 155.

II. Ger. c. gen. casu posita.

a) subst. nomm. effecto: amor Sat. II. 1. 10; Epist. I. 7. 85; studium Epist. II. 1. 109; cura Sat. I. 6. 32; consilium Epist. I. 1. 24; labor Sat. I. 4. 12; spes Epist. I. 16. 54; potestas AP. 10; ars I. Epist. 4. 7; jus AP. 284; finis Sat. I. 1. 92; jus et norma AP. 72; principium et fons AP. 309; condicio Sat. II. 8. 65; genus Sat. I. 4. 65; tempus Epist. I. 2. 39; I. 16. 22; hora Epist. I. 2. 41; locus Sat. I. 9. 26.

b) adject. nomm. effecto: parcus Sat. II. 5. 79; exsors AP. 305[17]).

III. Gerundia casu sexto posita: Odd. I. 8. 2; Odd. II. 2. 9; Odd. II. 10. 2. 3; Odd. III. 11. 2; Odd. IV. 11. 30; IV. 14. 31; Epp. 12. 11; 14. 5; Sat. I. 4. 106; Sat. II. 2. 21; II. 3. 64; II. 3. 140; II. 5. 58; Epist. I. 7. 87; I. 13. 16; II. 1. 19; AP. 344. 475.

---

[13]) Cf. infra p. 19 sqq.

[14]) Cf. Reis. sch. §. 436. — Cuiuslibet dumtaxat verbi natura definitur, quousque pateat gerundivi usus. Quamobrem fieri non potest, ut in intransitivo participii munus expleat passivo sensu. In constructione vero, quae periphrastica gerundivo formatur, ad substantivi illud notionem paene efferatur necesse est coëatque hoc nominativo neutrius generis gerundii simulque gerundivi vis. Quodsi verbo transitivo periphrastica efficitur constructio, qua continetur accusativus, casus obiecti: gerundii nominativus agnoscitur, quem contendere licet cum usu Plautino: captio est. cet. cf. n. 11. Sed quod idem fere impedimentum utrique obstat, accusativus casus ex substant. notione pendens, passivo evitatur verbi genere, quo subiectum fit, quae res in activo obiecti agit partes gerundivumque participii officiis fungitur.

[15]) Quid de casuum singulorum vi statuendum sit, latius hic non exponatur. cf. Reis. sch. §§. 435. 438. sqq. Zumpt. lat. gr. cap. 82. 3 — 6. Ramshorn. lat. gr. §. 169. pp. 639—653.

[16]) Vide infra p. 13 sqq. et p. 25 not. 59 part. extr.

[17]) Vide infra p. 26—27 cum nota.

Quibus addatur mox part. praes. pass. series[18]:

I. Gerundiva, quae cum verbo „esse“ formant illam, quam dicunt, coniugationem periphrasticam: Odd. I. 37. 1. 2; Odd. II. 14. 17. 21; Odd. III. 24. 51. 54; Epp. 8. 20; Epp. 17. 63; Sat. I. 6. 100. 101. 104. 120; Sat. I. 10. 17. 26; Sat. II. 3. 14. 16. 82. 246; Sat. II. 6. 28; Sat. II. 7. 32; Epist. I. 1. 53; Epist. I. 10. 13; Epist. I. 15. 10. 11; Epist. II. 1. 41; AP. 102, 156, 157, 223. 313.

II. Gerundiva posita casu nominativo: Odd. I. 28. 16; Odd. II. 14. 11; Odd. III. 2. 4; Odd. III. 3. 45; Odd. IV. 2. 9; Odd. IV. 11. 34; Odd. IV. 14. 17; Sat. I. 10. 39; Sat. II. 5. 62; Epist. I. 1. 9; Epist. I. 3. 15; Epist. I. 11. 9; Epist. I. 14. 30; Epist. I. 17. 3; Epist. II. 1. 231; Epist. II. 2. 69.

III. Gerundiva casu II. substantivis effecto posita: Odd. III. 1. 5; IV. 2. 15; Epist. I, 18. 73.

IV[19]. Gerundiva casu III. posita: De his quoque, quae videntur aliqua ex parte formata liberiori usu exempla, nil aliud statuatur, nisi quod ex participii qualitate vel rectionis connexu necessarium est habendum. Pendeat enim necese est dativus ex notione, quacum ea, quam significat, ratio congruat[20]. Deinde vero, quae inhaereat rei illi, ratione tertii casus usurpatae, vis attributiva, vel participio vel adiectivo designari potest. Nihilominus facile intelligitur, usum dativi cum gerundivo participio coniuncti frequentem non fuisse apud Romanos, quod mirum quantum nexa inter se vocabula cumulabantur alioque modo poterat evitari constructionis vix toleranda gravitas. Ac noster quoque parce offert exempla:

a) casu pendente ex adiectivis: natus AP. 82; natus inventusque AP. 377; impositus Odd. IV. 14. 12.

b) casu pendente ex verbis: esse Odd. IV. 11. 3; immiscere Sat. I. 2. 75; dividere Sat. I. 3. 114; quaerere I. Epist. 10. 13.

V. Gerundiva casu quarto posita:

a) Efficitur cas. obi. verbis: transilire Odd. I. 3. 24; servare I. Odd. 35. 31; locare[21] II. Odd. 18. 17; Sat. I. 8. 9; acuere III. Odd. 20. 10; reddere III. Odd. 27. 71; loqui IV. Odd. 2. 45; Epist. I.

---

[18]) Cf. n. 13; praeterea Zumpt. lat. gr. §§. 649—654. Ramsh. l. gr. l. c. — Quomodo factum sit, ut gerundiva, quae principalem habeant significationem, deponentibus quoque tribuantur, ex illius verborum generis origine est deducendum. cf. Reis. sch. §. 150. sqq.

[19]) Cf. Zumpt. lat. gr. §§. 664—666.

[20]) Cf. Reis. sch. §. 338. 2.

[21]) Cf. Zumpt. l. gr. §. 653. Apparet, non in participio inesse vim finem designandi, sed verba potius illa, dum casum obiecti flagitant, continere ex notione sua casu IV. finis significationem.

7. 72; Odd. IV. 9. 4; gerere IV. Odd. 4. 68; pugnare IV. Odd. 9. 21; meditari IV. Odd. 14. 27; relinquere Epp. 16. 19; I. Epist. 7. 19; dividere Sat. I. 3. 114; immiscere Sat. I. 2. 75; portare Sat. I. 6. 76; facere Sat. I. 8. 26; timere Sat. II. 3. 54; tradere Sat. II. 5. 51; precari Sat. II. 7. 36; terrere I. Epist. 16. 40; ponere II. Epist. 1. 16; sequi II. Epist. 2. 143; notare AP. 449.

b) Constructione accus. c. inf.: Sat. II. 3. 323 (dicere) Epist. I. 15. 37; II. Epist. 1. 85 (fateri); AP. 37 (velle); Epist. II. 1. 69 (reri); Epist. I. 6. 8 (credere); AP. 332 (sperare).

c) Acc. pendet ex praepos.: per Epp. 17. 3; ad Epist. I. 19. 8 (prosilire); AP. 419 (cogere)[22].

VI. Gerundiva casu vocat. posita: Odd. I. 12. 23; Odd. II. 19. 8; Odd. IV. 2. 47; Epist. I. 1. 1; c. 5. 2.

VII. Gerundiva casu VI. posita[23]):

Quo usu a) significatur rem eodem temporis momento fieri, quo aliquid aliud accidat: Odd. I. 16. 11; Epist. II. 4. 242.

b) caussa vel instrumentum exhibetur; ex origine sua hic usus non multum abhorret ab antecedenti: Odd. I. 27. 15; Odd. III. 1. 45; Odd. IV. 6. 7; Odd. IV. 11. 34; Epp. 6. 9; Epist. I. 7. 46.

c)[24]) adiiciuntur praepositiones casus rationem nec tamen participii facultatem definientes: in I. Epist. 2. 29; operari in cute curanda; I. Epist. 16. 68; festinare in augenda re; AP. 46 in verbis serendis tenuis cautusque; Sat. I. 10. 70 scaberet caput in versu faciendo.

Haec hactenus.

Iam vero priusquam de ipso infinitivo ingrediamur dicere, alteri insistendum erit peculiari linguae Latinae usui, quo deficiente articulo infinitivi notionem subst. nom. facultate repletam tenere studebat. Quaerendum est videlicet de supinorum natura. Affatim constat, conferendas esse ambas formas cum casibus duobus subst. verbal. in *us* desinentium[25]) et earum accusativum habendam esse alteram, de altera autem, utrum dativi an ablativi sit, ambigi[26]). Quamvis igitur in substantivis illis nulla iam noscatur temporis definitio excedantque potius verbi vim eo, ut nos inter nomina, quae dicimus „concreta" referamus, nihil tamen obstat, quominus eadem ex origine nata utraque et substantivi et supini forma censenda sit. Derivatur enim ex partic. perf. pass. utraque; quod

---

[22]) Vide infra p. 23 sqq.

[23]) Cf. Zumpt. lat. gr. §. 667. Reis. sch. §§. 435. 441. Ceterum spectat huc constructio, quam dicunt abl. absol. Cf. Reis. sch. 430.

[24]) Vide infra p. 23 sqq.

[25]) Cf. Reis. sch. 442. Haasii adn. 597.

[26]) Cf. Haasii adn. ad Reis. sch. 598. Luebker. de usu inf. Plaut. pp. 21—23. Humboldt. lc. pp. 95—98.

quum perfectam verbi actionem prae se ferat nihiloque paene differat ab adiectivo, continere substantiva quoque inde oriunda firmam nominis vim alteraque ex parte, natura tantum participii respecta, supini formas, quas sibi putaverit necessarias, linguam eruisse intelligimus. Unde videmus idem fere usuvenisse supinis, quod gerundio ex partic. praes. pass. deducendo.

Hinc igitur excedendum esse rati disquiramus est necesse, quidnam intercedat differentiae inter gerundium atque supinum accuratiusque de origine huius ac significatione agamus. Itaque primo loco disputandum est de flexione, cur etsi eodem modo, quo in gerundii forma licebat Romanis neutro participii uti, analogiam potius praetulerint substt. verbb. in *us* desinentium. Comparentur iam substt. verbb. in *um* et *us* terminata. Alterum quidem neutro participii genere formatum magis altero servare vim verbalem consentaneum est atque colligi inde quiret, supina ratione aliqua infinitivi vices subeuntia formanda fuisse ipso participio. Sed etiamsi firmi aliquid ac perfecti praedicatur istis nominibus, nunquam tamen deleri videmus generis passivi notionem ideoque adhuc plane servatam esse participii vim usumque, quo talia percipiantur substantiva, rarum. Itaque quum creaverit sibi lingua formam gerundii similem, cui insit non substantivi nominis minus, quam verbi adhuc species, illamque participio perf. pass. effici voluerit, flexionis analogiam ex habitu nominum in *us* desinentium quaesivit. Hinc in universum apparet, supini formam quum origine, tum flexione sua propius ad subst. nomen accedere, quam gerundii ipso participio effectam.

Tum altero loco consilium linguae in gerundio formando aliud, aliud in supino fuisse facile elucet. Supra iam exposuimus, neque ita activi quidquam vel passivi generis respici et obscuratam esse temporis notionem in gerundio, scilicet quod ex praesentis infinitivo derivandum in universum partes infinitivi casuum ratione definiti exhibeat. Quodsi contra singularem supinorum usum consideramus, difficile est intellectu, quo iudicio moti Romani statuerint alteram incertam subst. verb. formam, in qua quum perfecti temporis participio efficiatur necesse sit quoque contineatur inf. perf. definitio. Quam quidem ex nostrae ac recentiorum omnium linguarum indole quaestionem expedire non poterimus, quoniam quae fuisse videtur Romanorum colligendi hac in re dicendive ratio non congruit cum nostris dictionibus simili loco ponendis. Iamvero videntur illi peculiari indulsisse iudicio, ut adhibitis his, quae supinis formata sint, dicendi generibus aliquid esse vel fieri posse, quippe quod antea iam factum cogitetur, decreverint. Neque tale quid omnino abhorret a Romanorum ingenio similiaque linguae consuetudini probata reperiuntur; quid? perfecti infinitivum pro inf. praes. usurpari

videmus nonnisi certi iudicii proferendi gratia [27]), neque aliter intelligas verborum „ponendi“ constructionem, qua conjunguntur cum praepositione „in“ ablativum poscente, unde perfecta iam verbi actio percipiatur.

Denique superest, ut de usu ipso agatur sermo illoque simul antecedentia fiant probabiliora. Qui quidem cur duobus tantummodo casibus terminatus fuerit, ignoramus; itidem, num latius habuerit antiquissimo linguae tempore fines expansos. Illud vero pro certo habemus, supini accusativum priori quam posteriori aetate frequentius usurpatum fuisse, verum nonnisi coniunctum certis cum notionibus [28]); rarius alterum, quem necesse est ablativum existimes formamque ipsius singulis tantum contigisse verbis; variatum deinde et auctum huiusce usum sub Caesarum imperio [29]). Priorem igitur casum imprimis connexum animadvertimus cum verbis eundi, tum illorum factitivis [30]) vel eandem notionem continentibus, facilique explicamus opera, analogiam quaerentes ex hisce: domum, exequias, suppetias, infitias, pompam ire [31]). Est enim accusativus obiecti agendique finem significat; quem quum probatum quasi volebant reddere Romani, supini forma utentes (e. gr. eo aquatum i. e. unde aquam prompsisse homines cogitem), proferebant iudicii instar, nec tamen infinitivi usum, de quo infra loquemur amplius, contemnebant in eadem dicendi ratione, ipsoque iam priori tempore colebant [32]). Casu deinde supini ablativo condicionem, quae iudicium aliquod commoveat, designari censeas quaesitamque simul ex praeterito tempore iudicii veritatem praedicari (mihi difficile est dictu i. e. quando dicebam, difficile erat: etiamnunc iccirco est difficile) [33]).

Iam de genere verbi, quod supino attribuas, eadem sit disputatio necesse est, quae de gerundio agebatur. Utraque forma originem ducit ex passivi participiis, sed substantivi potestate sumta delentur verbi generis vestigia, nec servatur quidquam, nisi temporis quaedam notio verbique ex infinitivi analogia regimen. Quae quamquam ad supini alterius usum pertinere tantum arbitrabantur; alia enim ac passiva supini syllaba *u* terminati sententia iccirco non videbatur posse haberi, quod nunquam adscisceret casum obiecti. Sed fieri non potest, ut formae iisdem condicionibus enatae hanc alteri illam alteri casui vindicemus significationem. Imo ex usu utriusque fortasse id eliciatur, ut quae fiat ablativo enunciati constructio idem fere esse supinum efficiat, quod vero substantivo significe-

---

[27]) Cf. Zumpt. lat. gr. §. 590.
[28]) Cf. Luebker. comm. de usu inf. Plaut. pp. 21—23. Zumpt. lat. gr. §§. 668 et 669. Ramshorn. lat. gr. 170. 1. pp. 653 et 654.
[29]) Cf. Zumpt. l. gr. §. 670. Haasii adn. ad Reis. sch. 598 extr.
[30]) Locutiones: nuptum dare, tradere, collocare, eodem spectare liquet.
[31]) Cf. Reis. sch. §. 442. 1.
[32]) Cf. Luebker. lc. p. 23.
[33]) Cf. Zumpt. lat. gr. §. 671. Ramsh. lc. pp. 655—658.

tur, unde profecto aliquotiens distinguere nequeas, num supini an subst. verb. ablativum videris. Sic apud nostrum quoque Horatium exempla haecce: horrendus aspectu Sat. I. 8. 26; mirabilis visu Epist. II. 2. 91. Praeterea unum tantum exhibetur supini secundi: melius est petitu, vitatu Sat. I. 4. 115. In alterius tamen usu et neglectam quidem aeque atque in gerundio originem fuisse neque etiam substantivi similitudinem tantum valuisse intelligimus, ut infinitivi vim plane potuisset egredi. Mox sequentur exempla Horatiana; supinum efficitur verbis: *ire* Odd. I. 2. 15; I. Sat. 5. 48; I. Sat. 6. 119. 125; *venire* Sat. I. 8. 38; I. Epist. 3. 18; *ducere* Sat. II. 4. 89; I. Epist. 2. 31; *dimittere* I. Epist. 7. 73; *admittere* AP. 5; *vocare* II. Epist. 2, 67.

Quibus de gerundii ac supini usu praemissis unde sumserit initium haecce disputatio, meminerimus. Statuendum enim esse videbatur in antecedentibus, ex consuetudine Latini sermonis non potuisse proprie usurpari subst. verb. instar infinitivum: nunc talem, ubi huc pervenit quaestio, sententiam amplius castigabimus.

Iamvero si eorum, quae sunt tractata, compensatur argumentum, apparet, infinitivi vim aliis aliter linguarum legibus ad nom. subst. accedere facultatem gerundiique ac supini usu apud Romanos id effectum esse. Unde quidem altera ex parte jure colligas, infinitivum subst. verb. fieri nec tamen id sermoni Latino probatum fuisse censeas, qui dum subst. sententiam participiis curat restituendam, demonstret sibi non posse deduci aut ex notione aut ex forma infinitivi.

Quodsi altera ex parte id agimus, ut infinitivum peculiari sua non minus forma, quam notione verbi vim prae se ferentem cogitemus, item videmus definitione carentem, quippe quo non contineatur modi, personae, denique non explicata temporis significatio. Quamobrem cuiuscunque linguae regulas reputaveris, quando nititur oratio in ea, quae infinitivi est vera ac principalis, notione: illud est tenendum, aliqua eum descriptione amplificari, quae ad modum vel tempus vel personam pertineat. At hanc quidem, ut in aliis linguis, sic in Latino quoque sermone varie fieri posse consentaneum. Ne tamen iusto celerius rem tractemus neu singularis cuiusdam consuetudinis oblivione claudicet observatio nostra, dicemus ante de infinitivo, qui nulla ex parte descriptus saepe reperitur apud Romanorum auctores, quam copiosius de altero illo definitionis genere agamus. Disseratur enim de infinitivo, quem dicunt historico. Permulta iam de hoc miro Latinique tantummodo sermonis proprio proferebantur usu[34]). Sed quum interpretes in percunctanda

[34]) Cf. Haasii ad Reis. sch. adn. 599. F. C. Spiess, Disp. gr. de inf. hist. cet. Thermis Mattiacis 1847. gymn. progr., R. Mende. De inf. hist. ap. scr. Lat. Brigae 1845. gymn. pr.

origine haesitantes accuratius de sententia explicanda retulerint, tantum abest, ut in hac re moremur, ut quo iure possit ex ratione linguarum esse positus infinitivus, maxime respiciamus. Quo igitur loco participii Graeci, nominativo casu absolute positi conferatur analogia. Namque quoniam neque infinitivus neque participii nominativus temporis et modi circumscriptionem secum agunt, in oratione eadem uterque inopia urgetur neque ullo inde discrimine, nisi quod noscatur ex infinitivi ac participii notione, distinguitur [35]). Participii quippe natura efficitur, ut principalisne annon sit enunciatio, incertum habeas; infinitivi contra demonstratur consuetudinem imprimis ad principalis enunciati formam accommodari [36]), haud ita frequentem tamen esse usum in relativis, aliis enunciatis [37]). Nunc infinitivi solius historici interpretationem tentantes si illorum sequi vellemus vestigia, qui eum substantivum intelligendum esse exponebant perperamque putabant carere copula enunciatum [38]), alii alium adderemus errorem, quo iam veteres grammatici, ellipseos genere sumto, decipiebantur [39]). Nec tamen probabilius illi iudicasse videntur, qui enallagen aliamve orationis figuram esse censebant inf. hist. [40]). Cuiusmodi non illustrare interpretationes linguae consuetudinem, alia nos plane contraria docet sententia: esse dicendi genus inde ab antiquissimis linguae radicibus repetendum [41]). Quid? necesse est, tam varia proferri iudicia, si singularis quidem usus, quippe qui dissentiat ab aliarum linguarum regulis, penitus excedere videatur normas rationis. Quum vero ab omnibus omnium temporum auctoribus Romanis ab hoc ab illo saepius sit usurpatus inf. hist. pulcherrimeque adiuvetur eo orationis breviloquentia atque concinnitas, facile concedes, ex ingenio sermonis oriundum rationis coërceri finibus. Quae cum ita sint, profecto nihil restat, nisi ut infinitivo attribuatur vis, qua possit per se ipse idem efficere, quod verbo finito in oratione designatur. Itaque ante omnia statuendum est, quod iam Prahmio videbatur [42]), inf. hist. praedicari aliquid de aliqua re, perinde ac verbo finito. Quodsi temporis et modi atque personae terminationibus finitur verbum caretque illis

---

[35]) Cf. Haasii ed. Xen. de rep. Lacedd. XII. 3. p. 237; Mohr de inf. hist. p. 7.
[36]) Cf. Mohr. lc. p. 26.
[37]) Ut apud Virgilium in Aeneid. XI. 822. cf. exempla ex Tacito quaesita in Boetticher. lex Tacit. p. 263. — Zumpt. lat. gr. §. 599.
[38]) Cf. Krueger. lat. gr. t. II. §. 447. adn. I.; cens. gr. Lat. Weissenborn. in annal: Zeitschr. für Alterth. wissensch., fascic. II. p. 1023; Billroth. lat. gr. §. 288.
[39]) Quinctil. VIII. 6. 21 inst. or.; Prisc. XVIII. 4. 48 vol. II. p. 125 ed. Krehl.; Donat. ad Terent. Hecyr. I. 2, 91.
[40]) Corte ad Sallust. Cat. c. 6; Grotefend. gram. I. p. 274.
[41]) H. L. O. Mueller. de usu atque natura inf. hist. Cellae 1833 p. 16. Schadelook. de verb. tempor. p. 101. Max. Schmidt. De inf, Ratib. 1826 p. 64. Wagner. excurss. XXX. ad Virg. vol. IV.
[42]) In libro: versuch ueber das wesen des hist. inf. pp. 19. 28.

ex notione sua infinitivus, consectarium est, ita potius esse visum Romanis, qui acerrime vim infinitivi tenuerint verbalem, ut elementa quoque verbi finiti latere in eo existimaverint. Dehinc ut praesentis temporis habeatur ratio est monendum, cuius exstat solum inf. hist.[43]) et praesertim quoniam copiose a viris doctis disputabatur de peculiari eius aptaque narrando sententia ac de cognomine, quo esset vocatus historico in loco erit quaerere, cur hoc praesentis infinitivo contigerit.

Triplicem iam supra diximus esse temporis definitionem triplicemque inde participii et infinitivi formam; deinde vero etiam praesentis infinitivum maxime notioni infiniti temporis respondere exposuimus. Hinc profecto necesse est appareat, prorsus evanuisse Romanis, praes. inf. forma usurpata, finiti cuiusdam temporis cogitationem, quin etiam praeterfluere quasi res esse visas, quarum seriem narraverint, antequam narrantium mente percepta fuerint. Itaque sensibus quasi repraesentari res, quae referantur inf. hist., existimaveris, ut ne animo quidem liceat recensere, quo temporis momento sint inchoatae, quove continuatae quove denique finitae. Neque ergo quicquam efficiat investigatio, num alius an alius temporis, quod dicunt, historici vices subeat infinitivus[44]). Ubi enim finiti fit, ut quaeratur temporis similitudo, eam elicias est necesse ex finita verborum forma, quam excipit vel antecedit infinitivus, consilio vel impetu narrandi interpositus atque non tam variam inde conspiceres consuetudinem, quam coniunctam infinitivo de industria sententiam plane subtraheres faceresque etiam explicandae figurae periculum.

Quae cum ita esse videantur, consequitur, ut modi etiam quae cogitari possit notio, neutiquam referat in inf. historico.

Restat, ut de ea, quae verbo tantum finito adsciscitur, personae significatione loquamur. At verbum omnino agendi vel movendi vim amplecti memores, quem alium nisi hominem iam inde ab antiquissima linguae aetate prehendi existimamus auctorem agendi? Vocabat ipsum absoluto casu nominativo auctorem aut cogitabat pronomine significatum[45]). Deinde principii oblita alii cuique rei, in qua licebat, eandem auctoritatem tribuebat. Sic fiebat verbi flexio vel finitum verbum continebatque notionem verbi pronomine auctam. Proinde si Romanis placebat, in actione quadam enarranda modi temporisque terminationes

---

[43]) Cf. Mohr. l. c. pp. 7. 23

[44]) Recte igitur Prahm. l. c. p 20: nicht besser steht es um die annahme der enallage, obgleich noch Zumpt sagt, der inf. praes. stehe in der hist. schilderung fuer das praes. oder imperf. indicat. cf. Heind. Hor. Sat. I. 5. 12. ingerere fuer ingerebant, wie ueberall ohne ausnahme dieser hist. inf. fuer das imperf. gebraucht wird, nirgend fuer das perf.

[45]) Cf. Reis. sch. §. 10.

omittere ac cogitandam potius illam, quam certe definiendam curare[46]), non poterant facere, quin ex linguae consequentia[47]) infinitivo uterentur, absoluto tamen nihilominus casu actionis auctorem significarent aut significatum cogitarent. Illius enim eandem semper agendi condicionem atque immutabilem esse potestatem apparet. Itaque de inf. hist. haec velimus constitui: peculiare sibi creasse ac praefractum dicendi genus Romanos, in quo certa temporis ac modi definitione fere detersa, actionis tamen relatae tantum adhuc valuerit auctor, ut aut sit commemoratus aut subintellectus. Quum autem nonnisi de tertio quodam atque absenti incerto possit referri, consentaneum est tertiae tantum personae significationem convenire inf. hist. itemque quae adiiciantur orationes obliquo enarrari dicendi genere[48]).

Quae praebet usus Horatianus exempla, haec sequentur ex saturis atque epistolis quaesita: pueri ingerere I. Sat. 5. 12; hic illinere I. Sat. 5. 31; illae currere I. Sat. 8. 47; ire (ego), consistere, dicere I. Sat. 9. 9—10; male salsus dissimulare, urere bilis I. Sat. 9. 66; illa rogare (seq. or. obl.) Sat. II. 3. 316; nocturni subrepere II. Sat. 6. 100; pavidi currere, exanimes trepidare ib. 114. 115; vertere pallor Sat. II. 8. 35; Rufus flere ib. 59; Mena non sane credere Epist. I. 7. 61. 62; excusare (seq. or. obl.) ib. 67.

Haec de infinitivo historico.

Nunc ad alteram, quam statuimus, tempus erit reverti disputationis partem, qua quomodo definitio possit fieri immutatae inf. formae, illustraturi nobis esse videamur. Illam enimvero ut antecedentia recordari libuerit, quum ex origine verbalem esse debere contenderimus, Romanos tamen apparet eosque maxime posteriorum temporum eandem secutos esse rationis normam, quam Graeci, alii populi sequentes substantivum menti inducebant infinitivum, quippe qui articulo etiam eius formam augere faciliusque inde nom. subst. vim cogitare possent. Cicero autem, quandoquidem pro necessitudine philosophae orationis et speciem cogitandi peculiarem servare nec spernere Graecorum dicendi genus de industria voluisset, simplicem tamen rarius infinitivi formam, quam „ipsum" pronomine auctam usurpare solebat[49]). Unde sensisse eum intelligimus, non facile ascisci simplici cuidam infinitivo subst., quod dicimus, abstr. notionem, quin etiam proprie a dictione Latina abhorrere. Verum iccirco infinitivi, qui hac notione imbueretur nonnisi cogitando, respiciebatur

---

[46]) Cf. Guil. Otto. lat. gr. §. 195. Ramsh. l. gr. §. 168. 5. p. 636.

[47]) Aut participio aut infinitivo locus omnino erat in hac dicendi ratione. Participio Graeci, infinitivo Romani utebantur, quippe qui melius servari arbitrarentur notionem infinitivo verbalem id quod iam in gerundiorum usu distinximus.

[48]) Cf. Mohr. l. c. p. 26.

[49]) Cf. Haasii adn. ad Reis. sch. 601.

forma simplicissimis casus rationibus, nominativi et accusativi i. e. absoluti et res homini cogitanti obiectas designantis[50]). Id quod pro substantivi generis neutrius similitudine cuique tandem, etsi flecti nequit, tribuitur vocabulo. Ubicumque vero reliquorum casuum, peculiarem obiecti rationem exhibentium nexu pendebat infinitivi notio, non aliter inopiae suae mederi poterat sermo Latinus atque gerundii auxilio. Ceterum alio quoque additamento ac pronomine „ipsum" formato explendum curabat lingua Latina infinitivum, ut inde vel subiectum vel obiectum cogitaretur. Utebantur enim quum substantivi, tum alius etiam pronominis appositione. Haecce exstant apud Horatium exempla: pretium est mori Odd. III. 24. 24; dulce periculum est sequi III. Odd. 25. 19; est triumphus fallere atque effugere IV. Odd. 4. 52; sententia: ire Epp. XVI. 21; virtus sit vivere Sat. II. 2. 1; ludus erat potare Sat. II. 2. 123; vitium est dare Sat. II. 4. 76; virtus est fugere, sapientia est caruisse Epist. I. 1. 42; hic murus esto: nil conscire sibi, nulla pallescere culpa Epist. I. 1. 61; res est admirari I. Epist. 6. 1; laus est principibus placuisse I. Epist. 17. 35; sapientia fuit secernere AP. 396; principium et fons est sapere AP. 309; hoc iuvat reformidare? Sat. I. 1. 77; adiuvat hoc, sed vincit longe expugnare Sat. II. 5. 73; attingit solium Iovis et coelestia tentat res gerere et captos ostendere civibus hostes I. Epist. 17. 33. 34; inquiram quid sit furere? Sat. II. 3. 41; quanto rectius hoc, quam laedere II. Sat. I. 21; — deinde: niveus videri IV. Odd. 2. 59; lubricus aspici I. Odd. 19. 8; ridiculus obsorbere II. Sat. 8. 24; nobilis superare I. Odd. 12. 27[51]).

Huc quoque pertinet consuetudo, praepositiones cum infinitivo, ut ita dicam, coniungendi, ita tamen, ut adverbiorum re vera vim habeant, cuius est unum quoddam exemplum: Sat. II. 5. 69 nil sibi legatum, praeter plorare[52]).

Mirum: hôc contentus, claudere Sat. I. 10. 59; sed tamen confer infra p. 26 sqq.

Iam rursus ex alio fonte quaerenda est eorum, qui sequentur, locorum explicatio. Reperiuntur enim infinitivi, quos primum simul conspexeris, item subiecti vel obiecti partes agere existimes. Attamen in his hortemur ut omnibus verbalis, quam supra diximus, infinitivi definitio percipiatur. Accuratius de hac videamus.

Quae verbi finiti sint principia, tria paullo ante temporis, modi personaeque constituimus. Inde liquet tres quoque eorum significationes

---

[50]) Cf. Reis. sch. §. 336 a et b.
[51]) Cf. Ramsh. l. gr. p. 392—393.
[52]) Cf. Reis. sch. §. 445 extr.: „man spricht von einem existirenden nur hinsichtlich des Begriffs." cf. §. 437. extr.; Zumpt. lat. gr. §. 597. extr.

illius forma sociari. Quodsi infinitivum proprie esse nihil aliud nisi incertissimum verbi sententiae signum concesseris, per se iam nulla aptius definiri, quam finiti verbi forma consentaneum esse putabis. Hinc profecto mirum videretur, tot in consilio habuisse viros doctissimos, ut quam cognoscerent ipsa formae specie vitari in quaque lingua substantivi notionem nullo modo infinitivo eripiendam decernerent. Poterant praeterea nullum cogitatione effectae atque, quam dicimus, abstractae significationis prehendere vestigium in hoc, quem offeremus, infinitivi usu. Tum ipsis docebantur et Graecorum et Romanorum dicendi generibus, in hisce enunciatis, ubi subiectum vel obiectum infinitivo designari opineris, duas verbi notiones tam arcte esse coniunctas, ut altera finibus carens fines excipiat altera finiti verbi forma confluantque inter se funditus, neglecta omnino quavis casus ratione, qua firma substantivi condicio ad verbum relata alioquin exprimitur[53]).

Sed quamvis haec omnia a veritate nihilo discrepent, est tamen cur de verbali infinitivi natura hic queas haesitare. Etenim quoniam finita quoque forma sententiam complectitur, qua unaquaeque noscenda est verbi notio, non potest iam de una eaque incerta illius significatione (inf.) sermo haberi, sed de altera etiam, quae nihilo est incerta.

Quinam igitur utraque inter se iungi videatur? quidnam impedire, quominus, altera verbi notione undique finita, plena enunciati figura efficiatur altera, ut quae veram substantivi, ut fit, abstracti nanciscatur formam ac iure possit subiecti vel obiecti vices explere?

Id est, quod quaerimus, caussasque nunc investigare nos relaxatae ejusmodi coniunctionis est necesse atque universas rationis normas, ad quas suam quaeque adstrinxisse lingua videatur consuetudinem. Enimvero omnia, quae fiunt ante oculos, vel aguntur fluuntve mobilia, verbi notione amplectitur humana ratio eiusque designat lingua formis. Sed quoniam id, quod fit, fieri posse quoque vel necesse esse cogitatur, sententia inde duplex internoscebatur in verbi notione linguaeque cuivis exoriebantur duo utriusque significandae genera: modi indicativus et coniunctivus (optat.) verbo finito — infiniti verbi formae, infinitivo verba

---

[53]) Recentioribus infinitivi consuetudo aliis videlicet alia linguis et ipsis tamen, ut quae nonnisi coniunctione quadam adhibita casuum velint intelligi rationem, peculiarem illi sententiam servantibus. Qua in re, cuicunque vocabulo infinitivus adiungitur, omnino sibi constant. Sic particula „zu" vernacula veram infinitivi formam, quam usurpare voluerit, quamvis articulo vel ipsa inf. flexione exhibere queat casuum rationes (cf. n. 7.), cum antecedenti coniungit usque vocabulo, exceptis auxiliaribus:

koennen, moegen, duerfen — muessen, sollen — wollen.

Quae cur in quolibet sermone cum infinitivo solo composita sint, infra videbimus.

auxiliaria, sive voluntativa[54]). Primitiva eorum „posse“, „debere“ mediumque inter haec „velle“ deinde alia ex cuiusvis sermonis ingenio variata. Etenim quae vis est illis auxiliaribus, ut ita dicam, modalis excerpta esse de finiti notione videatur oportet simulque per se servare propria forma personae certamque temporis significationem[55]). Principalem vero sententiam verbi sic deperditam quum neutiquam abiicere possit ratio, singulari quadam et forma et notione restituit: infinitivo, quasi extrema finiti stirpe. Ita divelluntur reconcilianturque rursus finiti principia nec potest aut auxiliare profecto verbum aut infinitivus substantivum existimari. Videntur autem intima utriusque coniunctio modique finiti verbi significatio nonnisi eo inter se differre, quod priori rursus accuratior quaedam ac distinctior fit modi definitio:

video — videam
possum - possim
volo - velim
debeo - debeam
videre[56]).

Quae si ita sint, colligas eadem, qua modum verbi creaverit lingua, necessitate, exortum esse infinitivum eumque secundum originem non substantivi instar ex casuum ratione, sed ex vi modali, verbi propria, pendere formam mere verbalem. Haec de ista auxiliarium cum infinitivo coniunctione in universum sunto exposita.

Veluti tamen altera ex parte, linguarum finibus magis in dies dilatatis, crescentem adeo viderimus infinitivi facultatis ambitum, ut neglecta verbali origine ad subst. notionem quodammodo accesserit, ita altera ex parte non mirabimur expletam esse amplius atque amplius simplicem auxiliarium vim ac variatam servatamque simul principalem cum infinitivo coniunctionem. Quam vero quum proinde inveniamus fieri, quasi duorum in unam sociarentur ac fluerent verborum sententiae, iam differentia appareat, quae Latinae linguae intercedit inter gerundii, supini, atque infinitivi copulationem cum isdem verbis pro auxiliarium similitudine factam.

Quibus hac ratione constitutis nil arceret, quominus ad Horatium nostrum rediremus, nisi quo fieret probabilior exemplorum recensio, de copulatione illa accuratius dissereremus esset necesse. Hanc enim per-

---

[54]) Cf. Humboldt. l. c. pp. 81—82. Reis. sch. 10.
[55]) Cf. Humb. 78—79.
[56]) Ceterum dissolvi quoque hancce differentiam reperies. Quid? quonam modo explicentur futura vernaculae Anglicaeque linguae: ich werde lieben, i shall love, he will love? quibus videlicet quae desideratur certa verbi temporis flexio, ex modali illorum auxiliarium terminatione quaeritur.

cipi solere retulimus in duas partes, ut aut subiectum aut obiectum esse videretur infinitivus. Quae res igitur, quomodo se habeat, disceptare nunc studeamus. Constat, veteres iam grammaticos appellavisse infinitivum cognomine „impersonativo“ [57]). Quare recte sensisse illos liquet, omni loco personae significationem in eo desiderari. Quam igitur si verbis ex. gr.: cupio, gestio, paro cum infinitivo junctis dilucide expresseris, partum esse id quod defecerit infinitivum facile intelliges; reiecta tamen ea, quam proposuimus, explicatione, nil superesse, nisi ut obiecti locum illum tenere appareat. Sed etsi inde nullius essent momenti, quae antea de usu Ciceroniano prolata sunt, nec gerundii etiam, neque supini formae peculiarem continere viderentur sententiam, dubitari adhuc saltem potest, num quidquid esse infinitivum arbitraris, hac quarti casus ratione sumta expediatur ubique consuetudinis, de qua disputatur, varietas. Qua de re quoniam singulis reddetur magis perspicua exemplis, loqui copiosius non opus est.

A. Intelligatur notio „posse vel debere“.

Verba personalia cum infinitivo iuncta: posse auxiliare multifariam. — quire: Epp. 11. 25; Sat. I. 1. 119; 3, 14; Sat. II. 4. 95; 5. 2; 10; Epist. I. 18. 97; — nequire: Sat. I. 1. 107; 3. 76; 4. 84; II. Sat. 1. 7; 2. 59; 4. 87; 5. 78; 7. 106; AP. 86; — valere: I. Odd. 34. 13; II. 5. 1. sqq.; IV. 7. 27; Epp. 5. 87; 16. 3; Sat. I. 1. 14; Sat. I. 9. 39; Sat. II. 7. 87; AP. 40; 305; 473; evalere II. Epist. 1. 200; — audere: III. Odd. 24. 28; IV. 7. 6; c. sec. 58; Sat. I. 6. 39; 76; 10. 49; II. Sat. 1. 11; 63—64; 3. 113; 139; Epist. I. 15. 8; 16. 73; Epist. II. 1. 115; 222; 259; II. Epist. 2. 113. 148 [58]); AP. 126. 382; — scire: I. Epist. 17. 14. AP. 20; 158; 273; 316; 425; — nosse: Sat. II. 3. 24; callere: IV. Odd. 9. 48. 49; discere: II. Sat. 3. 299; III. Odd. 27. 74; AP. 326; condiscere: III. Odd. 2. 1; — nescire: III. Odd. 13. 10; 24. 55; I. Epist. 10. 26. 41; 12. 10; II. Epist. 2. 213; AP. 34; 379; 390; — ignorare: AP. 86; debere: Sat. I. 3. 44; 9. 37; Epist. I. 3. 30; Epist. II. 1. 37.

B. Intelligatur notio „velle“.

Verba personalia cum infinitivo iuncta: velle auxiliare multifariam; nolle: Sat. I. 2. 5; 28; 106; Sat. I. 4. 140; 6. 72; 97; 99; Sat. II. 3. 267; Epist. I. 1. 31; 48; 16. 69; 17. 13; 18. 28; ap. 89.

---

[57]) Cf. Humboldt. p. 78 not.

[58]) Audeo faterier cf. Sat. I. 2. 35; II. Epist. 2. 151; Sat. II. 3. 24; Epist. II. 1. 94; Sat. I. 2. 78; Sat. II. 8. 67; Odd. IV. 11. 8. cf. Rs. sch. §. 148. extr. Ramsh. l. gr. §. 62. p. 143 extr.

427. 463. — cupere: Sat. I. 3. 56; Sat. I. 5. 100; 9. 14; II. Epist. 2. 109; ap. 29; — gestire: III. Odd. 16. 24; IV. Odd. 12. 14; Epist. I. 1. 77; I. 20. 5; II. Epist. 1. 175; AP. 159. — studere: Odd. IV. 2. 1. Epist. I. 3. 13; AP. 412. — quaerere: Odd. I. 16. 26; Odd. III. 24. 28; III. 27. 55; IV. 1. 12; Epp. 2. 70; Epist. I. 1. 3. — optare: I. Sat. 6. 95; Epp. 17. 68; Epist. I. 14. 43; II. 1. 266; — tendere: Odd. I. 29. 15; I. Epist. 7. 31; I. 10. 20; II. 2. 57; — amare: Odd. II. 3. 10; III. 9. 24; III. 16. 10; I. Sat. 4. 87; Sat. I. 10. 60; Sat. II. 3. 20; 214; 5. 96; I. Epist. 14. 9; ap 197. — malle: III. Odd. 27. 64; 65; Sat. I. 1. 56; I. 2. 118; I. 6. 20; I. 10. 35; II. 7. 13; II. 8. 79; II. Epist. 1. 251; AP. 88. 442; praeferre: II. Epist. 2. 184. — laborare: II. Odd. 3. 11; II. Sat. 8. 19; II. 3. 270; Epist. I. 3. 2; 20. 16; Epist. II. 2. 196; AP. 168; 192; 435. — curare: II. Odd. 7. 24; II. 13. 40; III. 5. 30; Epist. I. 16. 17; 17. 5; 58; 18. 59; Epist. II. 2. 182; ap. 35; 98; 133; 297; 460; 461; — eniti: Odd. III. 27. 46; 47; AP. 236; — parare: Sat. I. 5. 10; Sat. II. 3. 13; 271; Epist. I. 3. 24; — meditari: IV Odd. 12. 23; III. Odd. 8. 24; II. Sat. 3. 263. — cogitare: Epist. I. 2. 50; ap. 143; — petere: I. Epist. 11. 29. — avere: IV. Odd. 11. 8; — certare: I. Odd. I. 8; — furere: I. Odd. 15. 27; — flagitare: II. Sat. 4. 61; — poscere: AP. 339; — sumere: I. Odd. 12. 2; Epist. I. 1. 7; dignari: IV. Odd. 3. 15; I. Epist. 19. 40; II. 2. 86. — occupare: IV. Odd. 12. 28; — conari: I. Odd. 6. 5; Sat. II. 1. 41; Epist. I. 1. 19; I. 9. 3; II. 1. 81; coepisse: Sat. I. 3. 104; 105; Sat. I. 8. 26; 27; 9. 42; 64; II. 3. 125; II. 6. 41; I. Epist. 20. 11; II. 1. 93; 94; II. 1. 150; 162; AP. 22; 208; II. Epist. 2. 35; — solere; I. Sat. 5. 90; II. Sat. 8. 74; I. Epist 18. 85; — consuescere: I. Sat. 7. 34; — incipere: Sat. I. 1. 93; Sat. I. 5. 17. 77; Sat. II. 3. 128; I. Epist. 5. 14; — persequi: I. Odd. 23. 10; — pergere: Sat. I. 1. 103; — properare: I. Odd. 8. 3; III. 14. 22; Epp. 12. 9; I. Epist. 8. 10; — festinare: Epist. I. 2. 12; 38; — recusare: Sat. II. 7. 108; Epist. II. 1. 259; Fpist. II. 1. 208; ap. 39; — refugere: I. Odd. 1. 34; — fugere: I. Odd. 9. 13; II. 4. 22; II. Epist. 2. 151; — odisse: II. Odd. 16. 26; Epist. I. 16. 52; — mittere: I. Odd. 38. 3; Epp. 13. 7; — omittere: Odd. III. 29. 11; I. Epist. 18. 79; remittere: II. Odd. 11. 3; — indignari: ap. 91; — spernere: I. Odd. 1. 20; — negligere: I. Odd. 28. 31; — vitare: I. Epist. 3. 16; — contemnere: Epist. I. 1. 29; 50; — parcere: III. Odd. 8. 26; I. Odd. 28. 25; III. Odd. 28. 7; II. Sat. 2. 58; — desistere: Epp. 11. 6; — desinere: I. Odd. 23. 12; III. 3. 71; 72; III. 15. 5; Epp. 11. 18; IV. Odd. 1. 6; Sat. I. 2. 78; I. Epist. 18. 31; — cessare: III. Odd. 27. 58; I. Epist. 7. 78; I. Epist. 19. 11; — morari: Epp. 16. 24; — auferre: II. Sat. 7. 44; — differre: IV. Odd. 4. 21; — timere I. Odd. 8. 8; III. 24. 56; I. Epist.

5. 2; I. 19. 27; II. 1. 114; AP. 170; 455; — metuere: III. Odd. 9. 11; III. 11. 10; III. 14. 15; IV. 5. 20; I. Epist. 18. 2; — reformidare: I. Epist. 19. 45; — trepidare: II. Odd. 4. 23; — perhorrescere: III. Odd. 16. 19; — cavere: ap. 168[59]). —

Pari tamen modo participia, pari etiam adiectiva copulari videmus cum infinitivo: adiectiva verbalia priora, verbi sui vim integram secum gerentia, posteriora participiorum sensu cogitata. Utrumque vero quoniam ex attributiva nomini alicui necesse est inhaereat sententia, personae quoque nusquam deesse notionem elucet infinitivo ex iis pendenti; simul etiam appositi verbi finiti, quam antea triplicem diximus, terminatione circumscribuntur accuratius. Quod quidem quamquam negari non poterit, durissimam apparere adiectivi cum infinitivo copulati consuetudinem in Latino sermone, ut qui participio verbi „esse" a Graecis facile illi substituto caruerit. Itaque haud immerito arguerit quispiam, huncce usum ex origine sua Graecum tantummodo fuisse ac transiisse tunc temporis ad Romanos, quum plane litteris Graecis imbuti ipsa conarentur vel arti-

---

[59]) Quibus quae specie similia adhuc videntur superesse exempla, quamquam de accusativo cum infinitivo cognatisque constructioni illi dicendi generibus intra libelli nostri fines non disputabitur, hoc loco dumtaxat enumerentur: deneges dare III. Odd. 16. 38; gloriantis vincere Epp. 11. 24; auctoratus uri, necari Sat. II. 7. 58; negat posse cogi Epist. I. 2. 11; contendat pressisse I. Epist 16. 37; Epist. I. 2. 9 censet praecidere; censet fungi Epist. I. 9. 5; memento finire I. Odd. 7. 17; — servare II. Odd. 3. 1; — reddere II. 17. 30; — componere III. 29. 32; — ponere II. Sat. 2. 4. 14; — ducere ib. 89; — abnuere II. Sat. 5. 52; — instillare I. Epist. 8. 16; meminisses reverti II. Sat. 6. 36; gaudet posuisse I. Odd. 34. 16; motus doceri gaudet III. Odd. 6. 21; gaudet pepulisse III. Odd. 18. 15; dolentem vinci IV. Odd. 4. 62; gaudes laedere I. Sat. 4, 78; gaudes illudere II. Sat. 8. 62; gemis ostendi I. Epist. 20. 4; gaudens findere Odd. I. 1. 11; gaudens properare cet. Epist. I. 7. 57; renidet adiecisse III. Odd. 6. 11; fateri nescire AP. 418. —

Tum alia, ab his differentia: iubet quidquid facere et pati III. Odd. 24. 23; iubet vesci I. Epist. 7. 14; iubente promere III. Odd. 21, 8; iubentes decorare II. Odd. 15. 19; iube ferre Odd. II. 3. 14; vetes (nos) egere II. Epist. 1. 228; vetat (nos) deterere Odd. I. 6. 12; iubeo (eum) audire Sat. II. 3. 77; iube (me) domum ire Sat. II. 5. 38; ire (te) iubebo I. Epist. 17. 8; delere (te) iubebat AP. 440; vetantes peccare II. Epist. I. 23; sinebant spernere II. Odd. 15. 17; conceditur (me) uti I. Epist. 5. 12; dedit spernere Odd. II. 16. 40; dent deducere II. Sat. 3. 191; da fallere I. Epist. 16. 61; dedit referre AP. 85; 324; dones frui, degere I. Odd. 31. 17. 20; tradam portare I. Odd. 26. 3; relinquas haurire Sat. I. 1. 52; reddes loqui I. Epist. 7. 27. 28; vetet proferre AP. 135; prohibebat tangere III. Odd. 19. 16; prohibebat (me) profari I Sat. 6. 57; interpellet (me) durare I. Sat. 6. 128; adimam cantare I. Epist. 19. 9; patitur (me) dicere I. Odd. 19. 10; permitto (eum) dicere II. Sat. 3. 190; [patiar (me) mori III. Odd. 9. 16; patiar adscribi (me) III. Odd. 3. 35; vel possis haec ad ord. B. referre]; cogit illam ludere III. Odd. 15. 12; cogit aegros sibi parcere Sat. I. 4. 37; cogemus te concedere Sat. I. 4. 143; cogit mortales quaerere et curare I. Sat 6. 37; cogat porrigere I. Epist. 6. 91; quid me coges perferre I. Epist. 16. 74; coget dare AP. 448; cogor dare (debeo) I. Odd. 34. 4; cogeris parcere I. Sat. 1. 71; 72; impulerit Proetum maturare III. Odd. 7. 16; egit pecus visere Odd. I. 2. 7; quibus adde: docuit magnum loqui nitique AP. 280; monstravi incoquere II. Sat. 8. 52; docentes peccare III. Odd. 7. 19; docendus parcere I. Epist. 14. 30. cf. Rsg. sch. §. 448; adnn. Haasii 485. 490. 602.

ficiosissima eorum imitari poemata. Quae cum ita sint, effectam tali dicendi genere gratam breviloquentiam Horatio nostro, Aeoliae lyrae fidicini (carm. III. 30; IV. 3. 24; I. Epist. 19. 16—34) praesertim in carmine faciundo probatam fuisse intelligamus. En aspice exempla:

A. Intelligatur notio „posse vel debere".

Participia et adiectiva cum infin. iuncta: impotens sperare I. Odd. 37. 11; valentium vertere Odd. III. 25. 16; valentium devocare Epp. 17. 4. ausus visere I. Odd. 37. 25. 27; ausus fastidire I. Epist. 3. 11; ausi deserere et celebrare AP. 287; audax perpeti I. Odd. 3. 25; efficax eluere IV. Odd. 12. 20; fortis tractare I. Odd. 37. 26; fortior spernere III. Odd. 3. 50; fortis responsare, contemnere II. Sat. 7. 85; sciens flectere III. Odd. 7. 25; nescius cedere I. Odd. 6. 6; nescios fari IV. Odd. 6. 18; nescius uti II. Sat. 3. 109; callidum condere I. Odd. 10. 8; callida resonare III. Odd. 11. 3; catus iaculari III. Odd. 12. 11; sollers ponere IV. Odd. 8. 8; prudens dissipare Epp. 17. 48; dolosi ferre I. Odd. 35. 28; blandum ducere I. Odd. 12. 12; indocilis pati I. Odd. 1. 18; doctior ludere III. Odd. 24. 56; doctus tendere I. Odd. 29. 9; docta versare, portare III. Odd. 6. 39. 41; doctae psallere IV. Odd. 13. 7; doctus dicere c. sec. 75; doctus cantare Sat. I. 10. 19; doctus mersare Sat. II. 4. 19; indoctum ferre II. Odd. 6. 2; institutae bibere III. Odd. 8. 11; utilis adspirare AP. 205; idoneus dare I. Epist. 16. 12; beatus vidisse II. Sat. 4. 92; firmus pascere I. Epist. 17. 47; celerem sequi I. Odd. 15. 18; celer excipere III. Odd. 12. 12; celerem volvere IV. 6. 40 Odd.; celerem irasci I. Epist. 20. 25; pernix relinquere AP. 165; cereus flecti AP. 163; durus componere Sat. I. 4. 8; leviora tolli II. Odd. 4. 11; digna moveri III. Odd. 21. 6; dignus notari I. Sat. 3. 24; dignus describi I. Sat. 4. 3; dignos culpari ib. 25; digna legi I. Sat. 10. 72; digna sequi I. Epist. 10. 48; digna geri AP. 183; dignam regi ib. 284; indigni rumpere Epist. I. 3. 35; indigna effutire AP. 231; meritum subire I. Sat. 3. 120; immeritus mori III. Odd. 2. 21; debentia dici ap. 43; damnati dare Sat. II. 3. 86; addictus iurare Epist. I. 1. 14; nati consumere Epist. I. 2. 27; rogati cantare Sat. I. 3. 2; vocatus levare II. Odd. 18. 38.

B. Intelligatur notio „velle".

Participia et adiectiva cum infinitivo iuncta: cupiens vincere II. 6. 87 Sat.; cupiens dicere II. Sat. 7. 1; cupiens evellere II. Sat. 7. 27; cupiens evertere II. Epist. 2. 34; aventes subrepere II. Sat. 6. 100; tendentes imposuisse III. Odd. IV. 52; gestiens visere III. Odd. 3. 54; gestientis ludere II. Odd. 5. 9; quaerens perire I. Odd. 37. 22;

quaerentem finire IV. Odd. 4. 39; quaerens illidere II. Sat. 1. 77; quaerens fallere II. Sat. 7. 114; quaerens discedere I. Sat. 9. 8; (invidens privata deduci nom. *c.* inf. I. Odd. 37. 31); parati carpere II. Odd. 17. 12; paratus subire Epp. 1. 4; paratus expiare Epp. 17. 38; parati depugnare II. Epist. 1. 184; praesens tollere, vertere I. Odd. 35. 2; 4; coniurata rumpere I. Odd. 15. 7; (patiens ultor vocari, *nom. c. inf.* I. Odd. 2. 43); lenis recludere I. Odd. 24. 17; lenis aperire c. sec. 13; saevus fingere I. Epist. 15. 30; largus donare IV. Odd. 12. 19; segnes solvere III. Odd. 21. 22; piger ferre Sat. I. 4. 12; impiger vexare Odd. IV. 14. 23; 24; pertinax ludere III. Odd. 29. 50; veraces cecinisse c. sec. 25; soliti componere I. Sat. 5. 29; solitum dimittere I. Epist. 14. 3; solitus potare II. Sat. 3. 143; soliti prandere II. Sat. 3. 245; solitus contemnere I. Sat. 1. 65; suëtae vexare I. Sat. 8. 18; assuetum graecari II. Sat. 2. 11; timentis recitare Sat. I. 4. 23; timenti aegrotare I. Epist. 7. 4; metuente solvi II. Odd. 2. 7; metuens tangere III. Odd. 19. 16; metuens audiri I. Epist. 16. 60; metuens contingere II. Sat. 3. 110; metuentes reddere II. Sat. 5. 65; timidus perire IV. Odd. 9. 52; timidus mori III. Odd. 19. 2; cautum assumere I. Sat. 6. 51 [60]). —

Iamvero in quibus subiecti vices subire statuas infinitivum, differuntne loci sua sententia ab illis, qui permittunt obiectum videri eius formam? Nullo modo: immo, quae huc pertinent dicendi genera, quum impersonalibus formata verbis, tum adiuvante copula adverbiis effecta adiectivisque, denique substantivis quibusdam, item vi modali, quam antea descripsimus, nectuntur cum infinitivo. Deprehenditur autem in eo prioris usus differentia quod certa illic personae definitione suppletur infinitivus nosciturque facilius unde pendeat quove referatur; quae res hic sane nequit nosci nec tamen deleta omnino potest cogitari personae notio, si quidem quae sint verba impersonalia vel ex qua origine nata sint memineris. Quidquid enim ad omnes aeque iudicii referri debet, abstractum linguae est impersonali verbi forma; quidquid ad unum, personali: utriusque fit

---

[60]) Facile potest intelligi, quantum distet ab hoc usu alter ille, quo et participia et adiectiva casum secundum, (cf. Reis. sch. §§. 351—52; adnn. Haasii 525—27; Ramshorn. lat. gr. pp. 318—24) vel tertium (Ramsh. p. 349), vel sextum (Ramsh. pp. 433—35) secum iungunt gerundiique et supini formae adhibentur. Sic apud nostrum reperis eadem adiectiva et participia cum casu secundo iuncta: potens I. Odd. 3. 1; I. Odd. 6. 10; III. Odd. 29. 41; (*c.* abl. c. IV. Odd. 10. 1); c. sec. 1; sciens I. Odd. 15. 25. III. Odd. 9. 10; nescius I. Odd. 5. 11; III. Odd. 2. 17; inscius IV. Odd. 4. 6; prudens III. Odd. 29. 29; IV. 9. 35; sapiens I. 3. 132. Sat.; docilis IV 6. 43 Odd ; II. 2. 52 Sat.; indoctus AP. 280; damnatus II. 14. 19. Odd.; cupidus III. 14. 26. Odd.; II. 2. 98. Sat.; avidus AP. 172; metuens III. Odd. 14. 26; II. Sat. 2. 110; II. Epist. 2. 115; timidus, AP. 28; incautus I. Sat. 1. 35. — Sic natus cum dativo adiectivum coniungitur cf. supra p. 12; dignus, indignus cum ablativo II. 3. 45. Sat.; II. Sat. 3. 59. al. ll.

reconciliatio si pronomine quodam certa personae significatio vel substantivo additur impersonali. Cuius tamen usque vera retinetur sententia, ut ne hac quidem distinctione turbari queat universa judicii illo prolati species, quam incertam neutro tert. pers. genere quaevis studet lingua exhibere. Seiuncta igitur omni alia, quae certa possit esse tert. pers. relatione, per se iam proprie continet impersonale subiecti atque praedicati terminationem ideoque modo asciscat sibi hanc vim alicuius verbi, alioquin personalis notio, evanescat simul necesse est potestas de subiecto, quod absolutum esse intelligis significasque nominativo, praedicandi. Id quidem in nullius sermonis usu attentius, quam Latino servari cognoscas. Excepto enim quod neutrum pronominis genus ex huiusce verbi origine usurpari potest expressae notionis supplementum peculiaremque illam personae (et subiecti) prae se ferre rationem, nullo modo mutantur cum impersonalibus personalia. Quodsi igitur omnino, quum singillatim hac de re agere longum esset, aliqua obiecti ratione percipi debent res [61]), de quibus iudicari vel praedicari impersonali quolibet verbo intelligas, qui infinitivum adiungi illis posse subiectum suspiceris? Quocirca quaecunque conspexeris impersonalia cum infinitivo ligata, ex modali notione, quam variatam quodammodo habeant, pendentem illum fieri existimes; quin etiam saepenumero ipso demum infinitivo impersonalia agnosci invenias, quod deposita certa personae distinctione nullam nisi universam modi vim verbis quibusdam superesse cogitaverit lingua Latina. Eodem vero etiam reliqua, quae supra enumeravimus, pertinere dicendi genera tibi persuadeas. Similiter enim ac si plane nacta essent potestatem impersonalium, nihil de re, quasi de subiecto praedicare possunt, id quod luculentissimum fit exploranda adverbiorum copulatione cum verbo, esse inita: satis est, necesse est. Tum per sententiae cognationem adiectiva etiam generis neutrius, dehinc denique substantiva quaedam cum verbo „esse“ iuncta, aequa ratione percipiebantur. Cuncta, utriusque vocabuli in unam quasi notionem coëunte sententia, per vim modalem flagitare infinitivum ex antiquioris etiam linguae consuetudine docearis; frustra enim, qualia paullo ante ab Horatio usurpata respeximus exempla: „laus est placuisse“, „virtus est vivere“ ex Plauto [62]) conquirere studeas; quamquam liquet, loquentibus praesertim quo tempore substantivi sententiam infinitivo attulerint, Romanis non obversatam esse utriusque consuetudinis differentiam. Saepe quidem difficile est accurate fines internoscere: Sat. II. 2. 73 malum est nescire; malum est deperdere Sat. I. 2. 62.

---

[61]) Cf. Ramsh. l. gr. §. 133. p. 395. Haasii adnn. ad Rsg. sch. 527. 536. Zumpt. lat. gr. §§. 441 – 442; 600—601.
[62]) Cf. Luebker. l. c. p. 20.

A. Posse vel debere.

I. Verba impersonalia cum infinitivo iuncta: licet habitare, spatiari I. Sat. 8. 14. 15; licet antestari? I. Sat. 9. 76; licebit consulere et respondere II. Sat. 3. 192; licet concedere ibid. 305; licebit ducere II. Sat. 6. 62; licebet tendere I. Epist. 5. 11; licet praecurrere I. Epist. 10. 33; licuit, licebit producere AP. 59; licebit delere ibid. 389; liceat perire 466 ibid.; licet dixisse III. Odd. 29. 42 [63]); — prodest tentasse I. Odd. 28. 5; proderat ditasse, miscuisse Epp. 17. 60. 61; prodest quaerere I. Sat. 2. 113. — expediat carere Epp. 16. 15; expedit fallere II. Odd. 8. 9; — conveniet commendare AP. 225. — attinet duci Epp. 4. 18; attinet tentare III. Odd. 23. 13; pertinet odisse II. Sat. 2. 36; pertinuit stipare II. Sat. 3. 11. — contingit adire Epist. I. 17. 36; contingit nutriri atque doceri II. Epist. 2. 41; continget fingere AP. 50; — restat ire I. Epist. 6. 27. — est videre Sat. I. 2. 101; non est dicere I. Sat. 5. 87; est prodire I. Epist. 1. 32; neque est levare Epp. 17. 26; est plus haurire, quam decerpere Sat. I. 2. 79; decet sacrare I. Odd. 26. 12; dedecuit ferre II. Odd. 12. 17; decet ferre Epp. I, 10; decet omittere II. Sat. 4. 25; decebit miscere ib. 65; deceat uti I. Epist. 17. 2; decet immolare I. Odd. 4. 11; impedire 9; — oportet vivere I. Epist. 10. 12.

II. Adverbia, quae cum „esse“ notione et infinitivo iunguntur: necesse est monstrare AP. 48; necesse est ire II. Sat. 6. 26.

III. Adiectiva eodem nexu posita: difficile est dicere AP. 128; durum est contendere I. Sat. 9. 42; est utile sqq. inff. II. Epist. 2. 141—4; aequum est descendere Sat. I. 2. 34.

IV. Substantiva eodem nexu posita: opus est celebrare, praeponere I. Odd. 7. 5. 7; opus est imperitare I. Odd. 15. 25; operae pretium est audire Sat. I. 2. 37; operae pretium est pernoscere II. Sat. 4. 63; fas est cantare II. Odd. 19. 9; operae pretium est cognoscere Epist. II. 1. 29; nec fas est scire IV. Odd. 4. 22; nefas (est) scire I. Odd. 11. 1; nefas est corrigere I. Odd. 24. 20; nefas erat depromere I. Odd. 37. 5; nefas (est) peccare III. Odd. 24. 24; nefas (esse) sperare IV. Odd. 11. 30; nefas (est) videre Epp. 16. 14; nefas sit redire ibid. 26.

B. Velle.

I. Verba impersonalia cum infinitivo iuncta: iuvat perfundi, levare Epp. 13. 9. 10; iuvat videre Epp. 2. 62; iuvat solvero Epp.

---

[63]) Multa inf. perf. exempla: (I. Odd. 34. 16); Odd. I. 1. 4; c. sec. 25; III. Odd. 4. 52; (III. Odd. 6. 11); (III. Odd. 18. 15); I. Odd. 28. 5; Epp. 17. 60. 61; II. Sat. 2. 36; Sat. I. 2. 28; Sat. II. 3. 187; II. Sat. 8. 79; I. Sat. 10. 60; II. Sat. 4. 92; AP. 98; 168; 328; 416; 347; 435; 455; (I. Epist. 16. 37); I. Epist. 14. 36; II. Epist. 2. 109. — (I. Epist. 1. 42; I. Epist. 17. 35). De his, quae uncis inclusa sunt cf. p. 20 et p. 25 n. 59; ceterum Zumpt. lat. gr. §. 590.

9. 38; iuvat insanire III. Odd. 19. 18; iuvat collegisse Odd. I. 1. 4; iuvat placare I. Odd. 36. 2; iuvat certare, vincire IV. Odd. 1. 31—32; iuvat scribere Epp. 11. 2; iuvat subsidere Epp. 16. 31; quid iuvat deponere? I. Sat. 1. 42; — libet mirari III. Odd. 25. 14; libet iacere Epp. 2. 23; libet scitari Epist. I. 7. 60; — placet mittere I. Odd. 33. 11; — delectat claudere Sat. II. 1. 28; delectet ludere, aedificare Sat. II. 3. 247; — piget dare Epp. 16. 27; non pudet lusisse I. Epist. 14. 36; pudet recitare I. Epist. 19. 42.

II. Adverbia, quae iunguntur cum notione „esse" et infinitivo: satis est evitare? Sat. I. 2. 61; satis esse concludere I. Sat. 4. 40; perscribere satis est ib. 54; non satis est diducere I. Sat. 10. 7; satis est avertere II. Sat. 4. 37; satis (est) consumere ibid. 48; non satis est revehi, adspicere? II. Sat. 5. 4; satis est orare I. Epist. 18. 111; satis est dixisse AP. 416.

III. Adiectiva eodem nexu posita: ut melius (est) pati! I. Odd. 11. 3; dulce est furere II. Odd. 7. 28; dulce est mori III. Odd. 2. 13; meliusne fuit ire, quam carpere? III. Odd. 27. 43. 44; dulce est desipere IV. Odd. 12. 28; dulce et sollemne fuit dormire II. Epist. 1. 104—6; melius (esse) dormire II. Epist. 2. 54; melius (est) non tangere Sat. II. 1. 45; suave est tollere Sat. I. 1. 51; pulchrum fuit dormire Epist. I. 2. 30; turpe (esse) parere II. Epist. 1. 84. 85; turpe est relinqui, fateri AP. 417. 18; miserum est deprendi Sat. 2. 134; puerilius (esse) amare II. Sat. 3. 250. — Quibus haec addantur: Thracum est pugnare I. Odd. 27. 2 (solere); miserarum est exanimari, lavere III. Odd. 12. 1 (miserum est); insani est gerere II. Sat. 3. 74 (solere) non est meum decurrere et pacisci III. Odd. 29, 59 (solere).

IV. Substantiva eodem nexu posita: tempus est ornare I. Odd. 37. 3; tempus est ponere II. Sat. 4. 2; tempus est abire Epist. II. 2. 215.

Quibus tamen, ut par est, diligenter omnibus circumspectis effici videtur, ut in utramque partem sive obiecti, sive subiecti locum iam ex initio tenere potuisse Latini sermonis infinitivum putaveris, explicatio te fugiat accuratior aliarum enunciati figurarum, quas aut gerundio supinove eodem verbali nexu positis aut substantivo finitoque verbo formari animadverteris. De hac re quoniam passim antea iam actum est, nunc in universum dixisse sufficiat, sententiam amplecti spectantia huc dicendi genera, qua iudicium aliquod constituant de actione quadam non conclusa, de qua nil certi queat praedicari necdum etiam abstrahi casuum ratio (ger. sup.), quae similem substantivo illius significandae formam notionemque reddere debuerat.

Theses.

I. Graecos non patriam communem, sed singulos provinciam suam amasse contendo.


II. Etiamsi raro de pulcritudine rerum naturalium scripserint, non illam sensisse nec cogitasse de illa unquam Graecos nego.

III. Soph. Phil. vv. 343—90 quae legitur narratio Neoptolemi, sententiam videtur probare, in veterum quoque fabulis esse interdum de industria artificioseque vera actarum rerum tempora neglecta.

IV. Cic. or. 7. extr. „ipsius" pronomen ad Demosthenem referendum esse.

Vita.

Fridericus Guilelmus Aemilius Dahleke, formulae evangelicae addictus, Vratislaviae sum natus a. d. V. Id. Septembres, a. h. seculi XXX, patre Ludovico, matre Carolina e gente Bannigia Onoldina. Suidnicii, quo parentes dilectissimi transmigraverant, prima literarum elementa postquam inde a. V. aetatiis anno et privatim et publice sum doctus, gymnasii limina adii, annum paene XI. assecutus. Qua in schola quidquid profeci, literarum antiquarum disciplinaeque historicae amore captus, non minus Directori eius V. Cl. Dr. Julio Heldio, quam Prorectori beato Bruecknero, Guttmanno, nunc Ratiborensis gymnasii Prorectori et Conrectori Dr. Schmidtio VV. DD., acceptissimis praeceptoribus debeo iisque gratam usque servabo memoriam. Octo igitur annis praeterlapsis examineque pro abitu feliciter superato, Almam petii Universitatem Viadrinam, studium meum in literis philologicis collocaturus. Quapropter quum a. V. Ill Kummer, eo tempore fasces academicos tenente, civibus Universitatis adscriptus nomenque essem rite apnd V. Ill. Braniss, ordinis Philosophorum tunc Decanum professus, per octo semestria scholis interfui philologicis, philosophis, historicis a. V. V. Ill. D. D. Schneider, Ambrosch, Haase, Braniss, Kahlert, Roepell, Weinhold, Rueckert, Suckow habitis. Praeterea quum persuasum mihi esset, studiis criticis grammaticisque imprimis niti antiquitatis cognitionem, operam dedi, ut inter sodales regii seminarii philologici reciperer. Quod quamvis initio anni, postquam gymnasium reliqui, quarti nactus essem, pertinax tamen mox gravisque valetudo me oppressit, ut id ipsum ad amplificanda studia fructuosissimum temporis spatium deminutum esse vehementer nunc doleam. At quidem nihilominus quae ratio, quaeve vera sit antiquitatis studiorum diligentia exercitationibus illius seminarii in dies mihi melius perspexisse videor. Cuius igitur praesidum quum uterque V. Ill. C. E. Chr. Schneider et V. Ill. Frid. Haase publice privatimque summa cum liberalitate me adiuverint in literis, indelebilis eorum me sequetur memoria. Omnibus vero, quorum doctrina mihi contigit ut imbuerer, VV. Ill. DD. gratiam habeo quam debeo maximam semperque animum referam pium gratumque.


LIBRARY OF CONGRESS
0 003 091 295 0